


M Sangrichay

Eob lon

PHÆNIX
SERAPHICIS IN IGNIBUS,
Divino Amore
ÆSTUANS,
DIVINISSIMUS
BONAVENTURA,
DOCTOR SERAPHICUS,
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS,
ARCHI-EPISCOPUS ALBANENSIS,
Redeunte annua ſuæ Feſtivitatis die,
In ſacra D. FRANCISCI Baſilica,
Celeberrimi Conventus Culmenſis,
Præſente Hoſpitum Corona,
à
M. JACOBO CYRILLO GAJEWSKI, in Almà Univerſitate Cracovienſi Philoſophiæ Doctore, in Academia Culmenſi, Scholæ Grammatices Profeſſore, Ordinario,
Oratoriâ Pennâ
DESCRIPTUS,
Panegyrico Cultu
ADORATUS.
Annô
Quô, Phœnix Christus combustus Amore ſalutis. 1758.
Die 14. Menſis Julii.



POSNANIÆ, Typîs ACADEMICIS.



Quaſi Sol refulſit in Templo Dei.
Eccle: 50.

In quo ſunt omnes theſauri, ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. 2. ad Coloſſ: 3.

Bonaventura omnes ſui temporis Doctores, utilitate Operum facile antecellit.
Abbas Trithemius.

Doctrina Sancti Bonaventuræ nulla ſublimior, nulla divinior, nulla ſuavior, nulla ſalubrior. Joannes Gerſon.





ADMODUM REVERENDO,
ac
RELIGIOSISSIMO IN CHRISTO PATRI,
P. PETRO DUNIN,
SACRÆ THÆOLOGIÆ LECTORI,
Sacerrimi Ordinis Prædicatorum,
Conventûs Culmensis
PRIORI DIGNISSIMO,
Patrono, ac Mecænati Gratiosissimo.

*S*Eraphicus *Doctor S. R. E. Cardinalis Bonaventura Divinissimus, nuper de Rostris promulgatus, diu propter se quæsivit locum, diu reclinatorium petebat, ad Te postremo non invitatus venit, Quem uti Hospitem reverenter excipere dignaberis.* Admodùm Reverende Domine, Prior Dignissime, Mecænas Amplissime. *Scio enim Te in Divos pientissimum esse, in Cœlicolas devotissimum, etiam & in Divinissimum Bonaventuram hunc affectum monstrabis, illiq; apud Te suam figere stationem permittes, Phœnix est Bonaventura præstantissimus, Tuo Gentilitio Cygno associari percupiens, in Gratiosum sinum advolavit, commodissimè nidificaturus: Divino Amore æstuans est Bonaventura, melius non potuit alibi, quàm apud Te locari, Qui verum es lumen sapientiæ, accensa fax Ecclesiæ, in firmamento Dominicanæ Religionis nitidissimum sidus, serenam virtutum spargendo lucem, crassas errorum dissipando tenebras, frigida accendendo pectora, ob id unicè: ne Zelus erga DEUM, pietas erga superos extingvatur. Verior Flaminius es, Qui solis Mystici circumfusus radiis luces coram hominibus, semper ta-*

men sub velo modestiæ, sub sipario sanctitatis. Cardinalis Bonaventura Te cardinem probitatum, ac omnigenæ perfectionis noscens Theologicarum, ac Cardinalium servatorem, & Propugnatorem maximum non ignorans, apud Te habitare elegit. Non timet in Tuo Gratioso sinu Detractorem famæ Gelardum Bonaventura, nec quosvis alios pertimescit Zoilos cùm eos à Sancto Phœnice Aviti Cygni proscribunt pennæ, severum pœnalitatis decretum contra tales Cavillatores, ac veriùs dicā osores exarando. Primas Tuas Prior Dignissime non lustro Cunas, novi enim ex Dignissima Te produsse Familia, ac bonîs imò optimîs natum esse Parentibus, Qui Tibi satis ad gloriam suffecisse videntur. Talem Te Filium Elisabeth de Stegielsciis, dilecta Genitrix edidit Mundo, ut meliorem si vellet parere non posset. Exstitisti Corona Domûs, ornamētum Familiæ, delicium Parentum, sangvine Junctorum solamen, cum non degener ab Illis exstitisti. Curiosus non investigo Juventutem Tuam, in qua dedisti specimina, Qui qualis quantusvè Maturiori in ævo futurus eras. In parvo corpore nil exiguum præter molem referebas, Illum in pectore fovebas ignem, Qui Te ad amorem Dei, ad omne bonū & honestum incendebat. Studebas à teneris Pietati, incumbebas modestiæ, vitabas vel maxime otium, obedientiæ singularissimus Alumnus, nulli Majorum in minimo refragari audebas. Processisti gravi passu in Literariam arenam eam bonîs moribûs conseminaturus, Optimā Literis navâsti operam, cùm his Pietatē junxisti. Nôsti enim perbellè, quòd malè ibi discitur, ubi virtutes Magisteriū suum non exercent. Nihil prodest, eruditos libare torrentes, ubi Fons Incarnatæ Sapiētiæ deest. Mala Syntaxeos constructio, si mores juxta Regulas honestæ vitæ non componuntur. Decurrebas, Olympia Scholastica stadiodromus, sed viâ mandatorum Domini. Plurimum in Literario profecisti studio, cùm de virtute in virtutem, de perfectione in perfectionē processisti. In Pöesi Olorinus dulcia cantica Drammatis, Cœlestis Parnassi Sanctiori Apollini Christo svavi modulamine decantabas In Rhetorica, nulla alia Figura, quàm Metaphora frequentissima dum cor à Mundo ad DEUM transferebas. Ut verò Hæc Literata virtus magìs in Te elucesceret, sub Religiosas abivisti umbras. Ingrederis bonîs avibûs, Divi Patris Religionem Dominici, multô virtutum stipatus satellitiô Miles Ecclesiæ Militantis acerrimus futurus. Novitium agendo Veteranum præsentabas, dum perfectus in omni videbaris. Resolvebat diligentiùs mente Regulas, Ipsæ Religiosæ vitæ Regula factus, ad exemplum aliorum singula exequebaris alacriùs, quæ Te Novitium concernebant. Humilitatē cæterarum virtutum pro fundamento posuisti, ad quosvis nutus & usus Patrum promptissimus fuisti. Maximùm tuum velle, voluntati Superiorum conformari. Brevi Religiosa professus es Vota, quæ statim à primo ingressu adimplêsti. Cādidissimo adscitus Ordini verè canon innocentiæ dicendus. Nulli non amabilis, nulli non affabilis, sic Patrum adhæsisti

sisti cordi, ut Te ob præcipuas dotes singulari prosequerentur affectu. Radiâsti purissima claritate conscientiæ, & lucidissimîs radiîs scientiæ. Ita confæderâsti Pietatem Sapientiæ, ut nihil Tibi foret sapientiùs, nisi quod Diviniùs, nihil prudentiùs, nisi quod sanctiùs, nihil doctiùs, nisi quod rectiùs. Stetisti ad Aras Divinas, Mysta sic suspiriîs penetrasti Cœlos, ut apertîs Cœli postibûs elementi Terricolas respiceret oculo DEUS. Fervet in Te Zelus honoris Divini, plusquàm Vestalis Ignis sacræ de pectore erumpunt flammæ, cunctos ad Charitatem Domini incendẽtes. Videt hæc in Te Sacra Dominici Familia, ac perbellè sciens, quòd parùm sepultæ distet inertiæ celata virtus, Te Lectorem Philosophiæ ad Thorunensem Conventum destinavit. Indefessus Professor ea maximè operabaris, ut Discipuli profectum caperent, quàm uberrimum. Docebas clariùs, erudiebas sinceriùs, instruebas faciliùs, quidquid abditum erat aperuisti, quidquid innodatum explicuisti, quidquid difficile facilitasti, quidquid obscurum illuminâsti, in Opere Literario æstus sine tædio, sine gravamine onera tollerando. Multa in hoc Lectoratûs Officio tulisti, fecisti, sudâsti, alsisti, ut Discipuli indies eruditionis summâ accrescerent, indies scientiîs augmẽtarentur. Finito Lectoratûs Tui munere, diu diu quietis impatiens, laboribus pro honore Religionis assiduus in prælibato Torunensi Conventu MagistrumNovitiorum egisti. Prælucebas Religionem Ingredientibus exemplô præprimis Timorem Domini Illis inculcãdo. Admonebas in omni patientia & doctrina, omni modestiæ, cõtinentiæ, obedientiæ, rescriptarum Regularum ad amussim observãtiæ Novitios assvefaciebas. Illuminando intellectum Illorum, curâsti vitiorum caliginem ab Eis removeri. Non hìc adhuc meta laborum Tuorum PriorDignissime majora egisti, quam exili penna describere possum, ampliora operatus es, quàm arcta pagina complecti valet. Ad Ecclesiam Parochialem Swierczynscensem, duodecẽ annis curam animarum administrasti, sed quàm optimè, commissæ oviculæ Testes oculati. Erudiebas rudes præcepta fidei, Regulis Christianæ vitæ imbuebas simplices, verbo Dei gregem pascendo. In Sacris Exedris Ecclesiasticus Demosthenes perorando, Cœlesti Svada in cordibus Audientium plantâsti virtutes extirpasti vitia adeò: ut non persvadere dictione, sed animis imperare videreris. Nullum exordium Ecclesiastes formasti, quod de Fontibꝰ non duceretur lacrymarum, nullum punctum protulisti ab ore, quod puncturam in obstinatis pectoribus non formaret. Et quoniam longa est via per præcepta, brevis per exempla, faciliùs enim ea percipimus cùm Docentem, quæ docet observare videmus. Tu hanc regulam servasti, & ut citiùs instrueres, Te Rudioribus, normam pietatis, omnis perfectionis exemplar exhibuisti, moralem vitam vivebas Sanctus, Civilem Urbanus. Procul à Te contemptor animus, & commune superbia malum cum vilioribus conversabaris, non aliam ob causam, nisi ut Te in mãsvetudine, humilitate imitari studerent. Archivum Te virtutum ap-

b   *pel-*

pellari libet, in cujus pientissimo corde monilia probitatum, sub clavibus altæ modestiæ asservantur. Acrias de Te pugnarunt virtutes, cujus præcipuus Alumnus esses, Tu inter illas lites composuisti, certamen diremisti cum omnibus sufficisti subjectum earum nuncuparis. Nulla Tibi occupatio lætior, quàm Cælestia contemplari, scrutari Divina. Jucundior recreatio nulla, quam immortalia monumenta, quæ operosus labor ac ingentes in paginam retulerunt curæ revolvere, & invisere. Intuendo tandem Conventus Culmensis Tuam in agendo prudentiam, in disponendo solertiam, in operando activitatem, Te suum elegit Priorē, Quem authoritas Patrum confirmavit. Fugiebâs diu hunc honorem, sed precibus Religiosorum convictus suscipere, recusare non debueras ut prodesses singulis. In hoc Officio quantùm communi prospicis bono Tui loquuntur labores, & fatigationes susceptæ. Unicum propter Te monumentum non reperis quietum, semper solicitudine occuparis, semper curis distraheris, & ut alii quiescant, Tu inquietaris, ut alii svavem capiant, somnum, Tu invigilas, quia providus Pater, quia boni amantissimus es. Multa in hoc Conventu stante Tuo Prioratu erexisti, multa restaurasti, omnia in suo esse in commodum, & utilitatem Conventus conservando, Dilectio decoris Domus Dei, sic Tuo cordi radicata est, ut eam nulla necessitas eradicare possit. Mundissima altaria vario adornata decore, non vili contecta apparatu significant, & ostendunt Te esse Cultus Divini maximum Promotorem. De Patientia quid dicam? en Te non semel adversi premunt Casûs, non semel mala injuriat fortuna, Tu tamen forti animo omnia perfers, omnia toleras, omnia sustines, ut etiamsi cum Anaxarcho tundaris, non contunderis. Magna ex Te Religioni Sacerrimæ accedit gloria, longè major æstimatio, cùm ubiq; integritatem publici honoris promoves, dignitatem adauges, famam concilias, & ut celsiùs emineat, candidior appareat, jam ab anno 1726. alias ab ingressu in Religionem Tui toto virium allaboras conatu. Demo omnem assentationis notam, dùm Te virum Talem, Qualem Te esse deceat, profero, scilicet in omni perfectum, sine fastu gravem, sine simulatione rectum, sine tumore prudentem, sine felle bonum Tu es Ille Vir, Quem secutura posteritas præsentibus invidebit, dùm probègesta videbit, perpendet merita, laudabilia facta trutinabit. Irem ulteriùs in elogia Tua ni scirem, magis Te laudanda agere, quàm laudari velle. Si mihi concederet innata Tua modestia, si Religiosa permitteret humilitas vocarem in paginam Aborigenes Tuos, Quorum famam totus divulgavit Orbis, dexteritatem laudavit, bene merita in Patriam, & Ecclesiam perennaturæ memoriæ impressit fastis. Verùm perhorresco nimium, ne Tuam in minimo lædam modestiam, unde Illos sub rosa silentii repono, Vos tantum commemorare præsumo, SIMON & CONSTANTINE de Skrzynno DUNIN, Fratres Mecænatis Germani, *Quorum unus Vestrum Bellonæ consecravit animum, Arte & Marte*

stre-

strenuissimus, alter Principibus placere Viris summo conamine studet. *Candidus Vobis pro stemmate cessit cygnus, nec immerito: Vos enim pro integritate Patriæ, pro aurea libertate Polona, pro immunitate Legum non ire, sed volare parati. Crimen committerem, ac judicari defacto mererer, si Te præterirem* Magnifice Domine JOANNES ORZELSKI, *Assessor Judiciorum Terrestrium Palatinatus Margeburgensis, Qui Tuo affectui, Tuoq; cordi sic Prior Dignissimus adhæsit, & adhæret, ut cum Illo velut Philades cum Oreste vivas. Tuo Gentilitio Dria infallibilem sortitur Patria fortunam, quo ludit, & eludit Hostes, multa Trophæa spoliaq; ampla referendo. Non sinistram, & ego capio sortem, dùm Tua liberalitate, Tuâ gratiâ compulsus, hoc opusculum aggressus sum conscribendum. Multæ enim Tibi à me laudum Apotheoses debentur, ut pote: Viro Genere Illustrissimo, ingeniô sapientissimo, prudentia peritissimo, ast meam capacitatem excedunt, mentem exsuperant acumen hebetant, & attenuant, felicior Macedone, vel ideo dicendus est, quòd Ille vix districtô ferrô Gordium resolveret nodum, Tu nodosas causas multaq; perplexitate involuta negotia, solius acumine mentis resolvis, & explanas. Non dicam hic, quòd sis Fidelissimus Divæ Astreæ Cultor, sic in bilance sani judicis causas ponderans, ut nec in dextram, nec in sinistram propendeat partem. Non me latent Tua egregia facta à Te gloriosè peracta, sed hæc in aliud tempus mihi reservo, nunc Te solum veneror silendo. Sine pœna non essem, si Te exili supprimerem penna,* Magnifice Domine GABRIEL ROZYNSKI, *Commissarie Szamotuliensis. Virum Te decumanum prudentiâ, Qui nō novit ex Tuo discat ore. Inest Tibi fermè à natura congenitum judicium, dùm quidquid agis, optimum, quidquid disponis laudabile, quidquid operaris ex omni parte perfectum. Attollit Tuam gloriam Sangvine Junctorum Cygnus, sed majorem longè gestis inquilinis mereris. Omnibus in rebus, ut verè dicam es providus, circumspectus, cautus, consilio felix, cuncta regis jucundissimè, ordinas svavissimè, moderaris prudentissimè. Ad hanc Consangvinitatis Arborem Vestra refertis Nomina, Magnifici Domini,* ALBRACHTE KRUSZYNSKI, *Castellanida Gedanensis*, RAPHAEL SKARBEK KOZIETULSKI, *Illustrissimi, & Excellentissimi Mareschalci Regni Commissarie, Loricatæ Cohortis Polona in Exercitu Eques magnanimè. Viri estis ad magna nati, sanguine enutriti Bellonæ, spiratis Martem, non timidi pro Patria mori. Virtutes eximias Vestrûm, pridem æstimavit Orbis, Historicorū pennîs in Codices relata facta commendavit, & laudavit. Magnus in Vobis Religionis Zelus, magnus amor Patriæ elucescit. Alia elogia ad calculum non revoco oratorium, cùm Vos & Superis placuisse, & Os Populi meruisse sciam. Pœnè innumera sunt Nomina Tibi Prior Dignissime Affinitatis juncta nexu, quæ hìc non enumero etenim Illis vasta volumina non sufficiunt. Parce Mecænas Amplissime, si Tuam Religio-*

 sam

ſam modeſtiam læſi, ſi profundam humilitatem offendi, innuere ſaltim debui, Quorum Gratiâ Bonaventura Diviniſſimus; luci publicæ demonſtratur. Nec mihi vitio vertas, quòd Te inſcio Laudes Bonaventuræ dedicare præſumpſi, etenim me ad hoc favor ſangvine Junctorum permovit, candor Academicus ſvaſit, & particularis meus affectus demandavit. Modò nihil reſtat, tantum ut Laudes Diviniſſimo Bonaventuræ gratioſus admittas. Ego verò Tibi Philadelphicum præſento amorem, & quæ conſtãtius de fovebam in paginam effundo vota, ut Bonaventura Diviniſſimus, Tibi bona ventura impetret, ac Phœnix divinior aureos omnigenæ ſortis ſuìs pennìs ſcribat characteres. Vive ſoſpes & incolumis, ac poſt expletos Neſtoris annos, perpetuum videas ſerenum.

Ita precor

Nominis, & Honoris Tui,

Verus Cultor, & Adorator profundus

Author Operis,



ORATIO.



Aradoxum non esto, nil novi posse dari sub Sole. AA. Quidquid enim vel Sydereus complectitur axis, vel liquida Neptuni continent Regna, vel Subsolanus habet ambitus, id omne novitatis ethymum non meretur. Curiositatis gratiâ universum, qua late patet perOrbē gradatione feramur Rhetorica, diversas in partes convertamus oculorum lumina, quatuor Mundi libeat invisere Plagas, nulla tamen raritas inter tot rerum Imagines obtutui nostro præsentabitur. Videmus horoscopantem in Zodiaco Solem, in hæc sublunaria influere, velocissimo motu suum cursum absolvere, observamus germanam Phæbi Cynthiam crescere, & decrescere, augeri & diminui, nec non diras pati eclypses, & desinimꝰ eandem cum Mathematicis mirari. Non est novū, quod Orbis Planetæ perpetuò erratico volvuntur motu, & à sua non aberrant sphæra. Pridem Diva devenitMathesis, cur? saltent in àere capræ, cur? criniti resplendeant Cometæ, cur? coruscantia roboanti sonitu crepent tonitrua, & Orbem increpent Universum. Ignita ardent in æthere Phænomena, imbrifera nubila irrigant Terram, sed quia horum rationem percepimus, nullum nobis pariunt stuporem. Scimus perbelle unde Boreas & Auster surgunt, unde flabra ventorum, unde egelidus erumpat Notus, nobis non ignotum. Perpendimus cum Physicis naturas rerum, altô consideramus Judiciô, ortum ac interitum, augmentationes & diminutiones, materiam & formam, earum motum & quietem, observamus species diversas animalium, herbarum, plantarumq; virtutes, sed hæc omnia benè alii ante nos trutinarunt, perpenderunt. Revocârunt ad calculum Archimedes stellas, in cognitionem naturalium devenerunt Plinii, immensitatem

 unda-

undarum emenſi ſunt Ariſtoteles, novum nuper voce populi Mundum, nunc veterem adinvenerunt Columbi, ut quidquam novitate commendatum, ſecutura poſteritas non valeat reperire. Habuit pridem Orbis decumanos ſapientiâ viros, Stoam coluit, & Peripatum, Academos adoravit & Gymnaſia, plurimos numeravit Literatos, Literarumq; alumnos, quorum munimenta per tot ſæculorum tractus ad nos uſq; pervenere. Pridem audivit Orbis perorantes Togatæ gentis Tullios, fulminantes ore Pericles, mellifluos Iſocrates, potentes eloquiô Cyneas, fluidosDemoſthenes, quos imitari nobis non niſi eſt conceſſum. Quidquid tantùm eruditæ annotant pennæ, quidquid ſcholaſtici exarant calami, id omne vetuſtas legit, vidit, laudavit, æſtimavit. Hiſtoricorum volumina, Scriptorum annales, hos eventus rerum continent, has ipſas fatalitates exprimunt, quas antecactis temporibûs idem Orbis eſt expertus. Circulo rotæ volvuntur anni, qui poſtquam ſuum abſolverint curſum, iterum incipiunt rotari ſimiles præteritis caſus revolvendo. Fuerunt penſiles in àere Semiramidis horti humanos oculos in admirationem rapientes, ſtetêre profana Dianæ fana, pro quibus bis quinquaginta laboratum eſt annis, ſed heu dolendum! tantum excellētiæ opus diu novitate gaudere nequibat, omnia veterata in Orbe, nec quidquam novi nunc annoſi aſpiciunt Soles. Summo quis exambiat conamine vitreum fabricare Cœlum, & tale jam vidimus Coſdroæ, cum ſuis planetis curſum abſolventibus Prætendat quis ſpectatori hominum exponere oculo plenum ſtupore miraculum, & talia ſeptem antiquitas recenſuit. Aurea Neronis ædificentur Palatia, ære fuſa Pergamorum reſtaurentur mænia, conſtruantur Mirmecidis opera, præteritorum ſæculorum tantùm redibunt acta, non verò quidquam de nova radice erigetur. Ponantur Memphiticæ pyramides, Rhodii Coloſſi, Acrocorynthi, & Septizonia, reverberent àërem pennis architæ, columbæ, hæc omnia vetuſtatis non novitatis artefacta. Luſtremus vaſtiſſima NeptuniRegna, verùm in illis nil novi intuebimur. Cara pignora ponti coralia primæ magnitudinis uniones profundis licèt occultentur in undis, inde tamen, humana extractæ peritiâ in uſus communes, convertuntur. Mentis oculos convertamus ad Montes, en ex illis non primò ſumptuoſi eruuntur adamantes, Princeps Metallorum aurum nôn primò effoditur, dudum Foſſorum manus ingentes eruendis adhibuerunt curas. Ipſa natura prodigiorum Parens inſolitum portentum parere non poteſt, cum jam tot miraculîs, quot rebus totum impleverit univerſum. Prorsùs novū ſummumq; raritatis opus ferat, ſi quis ante Agamemnona non relatorū Scriptôrum pennâ in Codices, Marte & arte potentiumHeroū dexteritatem ante Troës, & arcades ſuosAborigenes revocantiū, ad Lunam hominum geſta deſcriberet, deſcripta exponeretOrbi ad legendum.

dum.

dum. Inusitatum foret, siquis cupidus raritatis Sarmatarum in bellis ante Premyslaum stratagemmata revocaret, quæ hucusq; ignota Orbi, quia ab antiquis suppressa. Plura unicô complectar verbô, quidquid tantum sagaci observamus pupillâ, hoc aliis observatum, quidquid mente præconcipimus, hoc jam præconceptum, quidquid annotamus, annotatum, & expressum intuemur.

ET jam, quæ protuli oraculum crediderim fore, ni ecce augustas Sacerrimæ Franciscanæ Religionis ingrediens Ædes, novum Sapientiæ prodigium, Sanctimoniæ raritatem, humilitatis centrum, eminentiæ apogæum, Seraphicæ Regulæ Paradigma, Divinissimum Bonaventuram S. R. E. Presbyterum Cardinalem, reverentiali oculo advertissem. Et hìc paulisper commorari libet, ubi DD. Cardinalis ad suæ Festivitatis diem, profundo cultu adest venerandus. Jam ultra alienas non ferar per oras, gratissimâ rerum novitatem, quærendo, cum Domi Cœlestes raritates habeam, quæ mentes & animos rapiunt in stuporem. Sublimitas Divi Doctoris Sapientiæ, nullo intellectu attingibilis, concentratæ virtutes, congesta in unum, perfectio mirari facit universos. Quidquid enim sua in vita DD. Bonaventura gessit, hoc anteactis sæculis inauditum, quidquid fecit, oculìs non visum humanìs, quidquid Divino repletus Spiritu scripsit, hòc rarissimum, quidquid cogitavit, creatæ Sapientiæ transcendens fuit. Prima frons Cardinalium, Purpurei Senatus Caput, cujus consiliô omnia regebantur prudentissimè, disponebantur svavissimè, ordinabantur tranquillissimè. Eminebat Divus Cardinalis in purpura, sed sic: ut profundum Humilitatis attingeret centrum. Christiani ad gloriam Orbis, sublime decus, & ornamentum, Divinissimus Bonaventura. Sic amoreDivino flagrabat, sic piìs Orationum versùs Cœlum evolabat alìs, ut nec Seraphim quidem altiùs ascendere posset. Exhibuit se ideam Sanctimoniæ, vitæ Christianæ normam, ut unum Divinissimum Bonaventuram imitarentur singuli, mirarentur universi. Vita integra Bonaventuræ novum sub sole, quia in humilitate sublimis, in eminentia humilis, innocuo commendata candore. Inter tot Cardinalium Ordines, Unus Bonaventura ingeniô altissimus, Sapientiâ rarissimus, Seraphicis ignibûs ardentissimus, vitæ innocentia, & perfectione nulli comparandus. Ergo præmissis legitimis antecedentibus, rectam inferam consequentiam, dum Divinissimum Bonaventuram Phænicem inter Seraphicos ignes Divino Amore æstuantem, oratoria describam in Forma. Phœnicem Te Divino æstuantem Amore intitulavi. Doctor Bonaventura Divinissime, sed nihil novi proferam, quia omnium laudum encomia, omnium lingvarum voces prætergressus es, parce tamen imbecillitati meæ Eminentissime Cardinalis, si quid eloqui conabor, ultra progredienti benedictionē impertiri dignare. Vos ve-

rò AA. SS. Si vobis novitas est, gratissima rerum de Phoenice Divinissimo Bonaventura, dicturo benevolas aures non negate.

Conveniens ne? prædicatum Phænix, subjecto Divinissimo Bonaventuræ adinveni, Vos sapienti tantisper trutinate ingenio, ego scrutatorem rerum Plinium hac in re consulam, & naturam Phoenicis declarabo. AA. Phoenice etenim una tantùm supereminet Arabia, eò magnificentius quia unico, eo cariùs quia raro. Ad invidiam cæterarũ Gentiũ, ab Hac Nobilissima Avi, nomen sortita Arabia, & jam communi omnium voce Phoenicia nuncupatur. Habet suas excelsas laudes inquilinas Arabia, habet pro Domo Encomiastas, sed inde maxime laudanda, quòd ex omni genere avium præstantissimũ in sinu suo complectatur Phoenicem, ad miraculum universi. Conspicuus enim decore, speciosus venustate, Magnificus splendore, Phoenix Reginæ volucrum Aquilæ præsefert magnitudinem, ut nihil in illo vile, nihil exiguum videatur. Aureo fulgore circa collum amictus, ut suo à natura distinctorio præcellat, & excellat omnes. Elegantissimè dispositæ candidam faciem cohonestant ritulantes cristæ, roseum caput plumeus condecorat vertex, ut significet, Phoenices tantùm ad magna nasci. Integer purpureis adornatus pennis, sic cõveniens: Principem alitum velut murice rubere fulgenti. Mirabilem hæc rarissima avis construit nidum, svaveolentem colligit casiam, thurisq; redolentes stirculos, in quibus considet, ac solis radiis adusta se voluntariè comburit, ut ex cineribus lætior evolet, ac iterum renascatur. Consumptis bis triginta annorum lustris, cum se presũ canicie advertit, gaudet mori festivus in ortum speciali Coeli munere donatus Phoenix, virulentis repletas feris non inhabitat Regiones, venenosa colubrorum odit loca, lutosas pulverulentasq; aufugit valles, eminentiores tantum modo clivos exposcendo. Phoenicẽ more suo antiquitas, luminum Patri Titani in perpetuam dicabat hecatumben, eundem felicem appellando.

Hic fortunatus nimium Tytanius ales
Regna colit Solisq; plaga defensus iniqua.
Possidet intactas ægris animalibus oras.

Sanè Phoenix cæteras aves, præstantiâ excellit dignitate anteit, pulchritudine exsuperat venustate, & raritate supereminet omnes. Sanctiorem Phoenicem extra Arabiæ montes in firmamento Seraphicæ Religionis Divinissimum Bonaventuram, S. R. E. Cardinalem, mentis oculo advertite. Quem sapientia, & virtus eruditio, & probitas, sanctimonia, & pietas, adeò rarissimum, inter mortales ostenderunt, ut idem sit Divinissimum Bonaventuram, quod Phoenicẽ igne æstuantem nominare. Primam illius lucem umbratili lustro sermone, quam sibi ex Hetruria capessit gloriosam: Balneoregii nidum Divinissimi Phoenicis Bonaventuræ, dilecti ponunt Parentes, pro

quo

quo non frondes, non ramos petunt, sed devotas componunt manus; piis precibus fatigant Olympum, ut steriles Phoenicem Filium nanciscantur. Retardavit quidem Coelum desideria Parentum, sed sic decuit; ut diu desudaret natura Phoenicem Coelestem Bonaventurã, terris paritura. Fluunt guttatim annorum myriades, antequam de concha sumptuosus profluat unio, in cavernis montium lente adolescit adamas, antequam efformetur, & concrescat: Procerae arbores saecularibus vegetantur augmentis, nec stat in, quae virga fuit alta Cedrus. Post longam tandem expectationem melioribus Astris Joannis, & Ritelae coronantur desideria. Serò, sed rarissimus Phoenix de utero Matris, tanquam de nido evolat Bonaventura Divinissimus, ad unicum laetitiae signum Parentum, ad raritatẽ Hetruriae, ad gaudium, & solamen universi. A Gratia suam originem sumpsit, ut gratus Superis, carus Parẽtibus singulis amabilis appareret. Nec aliter Sanctior Phoenix in Mundum prodire potuit, nisi ex Joanne, velut Apocaliptica Aquila primordia desumendo. Scimus solem ab Oceano assurgere, ab aquis in Zodiacum ascendere, Phoenix Divinissimus Infans, Solis Justitiae aestuans amore Baptismalibûs perfunditur undîs, ut ad ipsos evolet coelos, magisq; charitatis flammîs accẽdatur. In sacro Baptismate Joannis insignitur, nomine Sedes Coelestium Gratiarum, virtutum Praecursor futurus. Inter aves nulla Phoenice praestantior, inter natos mulierum, quis major Joanne, adhuc pendulus ab ubere Matris, & jam virtutes delibare caepit, cui majori oblectamine fuere, jucundiùs arrisere palato, quàm tenerrimîs labrîs svavior lactatio. Pumilio corpore Bonaventura Divinissimus, plusquam Gyganteam praesetulit magnitudinem, in primo Juvente flore, plenas flagrantiâ probitatum casias, virtutum centifolia, gratissimos perfectionum odores, Sanctior Phoenix colligebat. Verè Phoenix in Infantia Bonaventura Divinissimus, etenim si Ejus profundam humilitatem, majorem obedientiam, praecipuam ab uberibus abstinentiam, gratam affabilitatem, virgineo pudore depictas genas observabimus, nil non magnum, nil sub Sole non novum, nil non rarum, nil non admirabile, reperiemus, ac prospiciemus. Vario virtutum adornatus, magnificum se Virum monstrabat, eas puer cõcentrata habuit probitates, quàm pauci, aut nulli meruêre senes, Felix suo Phoenice Arabia, longe beatior Hetruria, Hesperiae Dominio juncta. Quae sicut ubertate Florentia, amaenitate novus recreationis Orbis, deliciarum Paradisus nuncupatur, ita praestantissimũ Coelestem Phoenicem edidit Divinissimum Bonaventuram, sua pulchritudine suô altissimô Ingeniô, Romanam Ecclesiam, singulos populos, populorum status svaviter recreaturum. Nobilis in gremio Lucinae ablactatur Juvenis Bonaventura, Orbis universi in Praesidium, Parentem ad solatium, Sacerrimae Religionis in ornamentum, ac

 gran-

grande decus columenq; rerum. Sed heu! vesana fatorum rabies quē non dedit, auferre cupit Phœnicem, alias DD. Pusioni mortem minatur atrocissimam. Cæcum Hoc Numen Libitina, nec Cœlo quidē natis parcit, totum furendo per Orbem, & Cedros Libani, & humiles miricas, candida Lilia & violas, Pæstanas rosas & urticas, falce sua succidit adunca. Hinc & in Divinissimum irruit Infantem, suîs inventîs Juventam opprimit, innocentiam nocentem proclamat, vitæ Ejus, quâ nihil jucundius, nihil carius, stamina præscindere variîs conatur modîs. Boni Superi Bonaventuram defendite, en Sāctiorem Phœnicem fata deplumare intendunt; Quem lapsum erigite, cadentem fulcite, ab impetu Parcarum protegite, à morborum sævitie relevate, à casibus fatalitatis vindicate, ut, quod sacrum non profanetur, quod magnificum non vile reddatur, quod rarum non pereat cum sonitu auræ. Hæc ego cum profero, & ecce gemebunda Mater Ritela, sana applicat remedia, non jam copioso ære coëmit pharmacopolia, nec perfectissimos convocat Æsculapios, aut doctos quærit Podalyrios, sed cum piis precibus Divinissimi Patris Francisci subingreditur ædes, bene sibi persvasa, quod compositæ manus Francisci, Ejus Phœnicem, scilicet unicum Filium levabūt lethali à morbo. Offert in perpetuam Superis victimam, mæstissima Infantem Genitrix, has ad Cœlos mittendo voces: Supreme Rector Olympi, ego afflicta Mater Unigenitum meum Tibi in obsequium reddo, *dic vive DEUS verbum*, *Qui unicô verbô creasti omnia, & meus Filius, Tuus verò servus, pristinæ fiet compos sanitatis.* Et hic dilecta Parens Unigenitum Bonaventuram verum esse demonstravit, Phœnicem, dum Eum Soli Justitiæ devovit, obtulit, consecravit.

Singulari Cœlorum munere Bonaventura Divinissimus, iterum renascitur Mundo, dum vividiores reassumit vires, ac pristinæ restituitur valetudini. Nec cui stuporem pariat, quod invida fata in Divinissimum Infantem acerbiùs sævierint, molestiùs suum exeruerint furorem: Phœnix ut vivat igne comburitur. Divinissimus Bonaventura Sanctior Phœnix Divino æstuans Amore debuit ferventioribus aduri Mortis ignibus, ut sic verus probaretur, ulteriores in annos succrescit Pusio DD, jam in adversis expolitus, velut ad Lydium lapidem aurum probatissimum. In tenero corpore, Bonaventuræ Gigas animus, exiguam pusillæ molis magnitudinem, doctrina & probitate, perfectione & pietate, extendebat. Crescebat non tam ætate, quàm sapientiâ; non tam augmentabitur corpore, quàm sanctimoniâ, de virtute in virtutem, de perfectione in perfectionē procedebat, indies venustissimorum morum incrementa sumendo. Juventus rem totam aperuit, quid in ulterioribus ætatis suæ partibus pertracturus erat. Non degenerat Vir à puero, consentit cum palmite vitis, cum pubescenti culmo arista, cum diluculo, meridies

es serenus, vel opacus. Divinissimus Bonaventura, ea puer agebat, quæ illum Phœnicem demonstrabant. Insolētiam exosus, nugas non secutus & ineptias, ludicris & velitationibus non incumbebat, tēpus quô nihil pretiosius in casum non consumebat, boni & honesti semper amantissimus, ut Phœnix Juvenum diceretur. Innata à natura Adolescentibus levitas, & inconstantia; Divinissimus Bonaventura cum eis nihil commune habuisse visus, maturitatis & constantiæ, gravitatis, & modestiæ alumnus fidelissimus. Scandebat pietatis gradus, devota ad DEUM evolabat mente, summô charitatis ferebatur desideriô, Phœnix Divino æstuans amore dicendus, domesticis in liminibus diu commorari renuit, ad Musas bicolli in Parnasso consistentes, advolat Phœnix Bonaventura, declives terræ linquit angulos, eminentiores poscit clivos, & bene: nullus convenientior Phœnici locus, quàm Pindi vertices laureati. Bibit cum pietate Castalios Fontes, incrementa vel maximè percepit, virtutibûs, & sanctimoniâ accrescendo. Figuras ad amussim calluit, se se in Figuram Phœnicis Cruci appensi componendo. Cæsuras Pöeticas ex cæso Salvatoris nostri corpore colligebat: Pegaseîs instructus pennîs Phœnix DD. in amæna Tulli evolavit tempe, ad Lumina Oratoria magìs Divino arsurus amore, Reginæ animorum Eloquentiæ Majestatem in se transtulit, Princeps Purpuratus futurus. Phœnix nulla palustria inhabitat loca, eodem nomine insignitusBonaventura, nullibi svavius, quàm pulchritudine, & jucunditate commendatis moratur in Campis. Si enim perorantem in Cathedra Togatæ Eloquētiæ Parens audisset, Bonaventuram Divinissimū prodigium Eloquētiæ, Phœnicem Oratorum appellasset. Quantum adamas inter simplices lapillos, Tytan inter astra minora, tantum inter OratoresDivinissimus Bonaventura Phœnix resplenduit, & inclaruit Universo. In Euripo Philosophico felicior Jason, aureum scientiæ adnavigavit vellus, aureus Sapientiæ Phœnix. Maximus inimicus tenebrarū, continuò noctes atticas Cleanthis lychnîs illustrabat, ut etiam inter umbras ardentissimus videretur. Innatæ modestiæ spectaculum Divinissimus Bonaventura, parvæ de se opinionis Amator, evanidas Mundi voluptates pulcherrimè: per humilitatem eludit, dum post optatum studiorum remigium, ad Religionem Divi Patris Francisci bonîs avibûs fertur; ut ardentius amore DEI Seraphicis in ignibus Phœnix Bonaventura æstuare possit. Verùm quò tàm celeri tendis passu Bonaventura Divinissimè, Phœnix es, & in umbris Religiosis occultari prætendis? Phœnix es, & centrum humilitatis attingere desideras? En Mundus Te Phœnice unico oblectatur solamine, Illustres Domûs Ceræ, Te collustrant, quas in tenebras commutare in votis habes. Reflectere quid agis? Quid ad hæc Bonaventura Divinissim9, tenax propositi sui, nec Eum austeritas Religiosæ vitæ de-

rerret, nec domestica retrahunt lenocinia, nec mundanæ illecebræ præpediunt viam, novit benè; quod etiam in annulò positus splendescit adamas, rosa pubescens etiam extra apricum Purpuram non amittit, melius gemmæ in argento, quam in auro refulgent. A cunis adhuc electam Religionem ingressus, Nominis magnitudinem sui non arctavit, imò majorem fecit Bonaventura Divinissimus, pietate in DEUM ferventissimus, fortitudine animi invictissimus, innocentiâ mentis purissimus, ibi locari debuit, unde eminentior prodiret, ac se Phœnicem Seraphicis in ignibus Divino æstuantem Amore exhiberet Universo.

Vade Oratoris facundia, accingere itineri, ubi Phœnix Divinissimus Bonaventura Cassiano in monte consedit. Mirare potiùs ad radicem Montis hujus, quomodo Divinissimus Bonaventura pennis Divini Amoris sublimatus in altum, humilitatem profitetur, obstupesce! quomodò charitate æstuat, quomodò nobilitate insignis, virtute conspicuus, minimus exoptat videri, Minorum Fratrum votis se se obstringendo. Hoc Ejus unicum fuit velle, nolle eminere, ingens magnitudo, humi serpere, qui inter Seraphicas umbras meridiana luce clarior, in centro humilitatis positus, major factus omnium, verè Phœnix proclamandus, Minoritarum adscitus numero, Bonaventura Divinissimꝰ. Alexandrũ de Ales Magistrum nactus, quàm per optimè: *simile simili gaudet* Sophorum axioma sonat: Diviniori Phœnici Bonaventuræ successit in Professorem Ales, sub Hoc enim Alite Bonaventura plurimum profecit, multa didicit, majora percepit, sub Hoc inquam Alite, sublimi mentis acumine ad illud cõsumatæ sapientiæ evolavit culmen, quod raris mortalium, aut nullis attingere est concessum. Aristoteles supra Platonem, supra Chironem Achilles, supra Anaxagoram Pericles, supra Alexandrum de Ales, Phœnix Bonaventura. Stupet Professor, Divinam plane in Bonaventura Sapientiam non acquisitam, sed Cœlitùs infusam, videt intaminatæ vitæ candorem, elevatã in DEUM mentem, prufundã humilitatem, strictam Religiosæ vitæ observantiam, demissam modestiam, videt Amore erga Superos flagrantem, charitate æstuantẽ, & attonitus hæret. Angelum magis, quàm hominem arbitratur, an veriùs loquar Phœnicem rarissimum præsupponit, exclamando: *Ecce verus Israelita, in Quo non est dolus, videtur in ipso Adam quodammodo non peccâsse.* alias: ecce Phænix rarissimus, amore DEI ferventissimus, ecce Phœnix sordes peccatorum, venena scelerum exosus, conscientiam suam labe piaculi non contaminavit nefandè. Ecce Seraphicis in ignibus, Divino æstuando Amore, Phœnix omnes proclivitates ad malũ in cineres, & favillas abire laborat. Ecce purissima Cryslallus, quæ Soli Justitiæ admota triumphales militanti Ecclesiæ accendit ignes. Ecce Sapientiæ epitome virtutum compen

di-

dium, Sanctimoniæ imago, Fidei Orthodoxæ propugnaculum, Ecclesiæ basis, Divinitatis norma, & quod idem est, Phoenix Divino æstuans amore. Magis quàm Vesuvius, aut Siciliæ Æthna, charitatis flammas evomit Bonaventura Divinissimus, cujus pectus plùsquã vestalis ara, ad aras Superûm immortalium, assiduò pro Honore DEI zelosissimè, pro Ecclesia ardentissime, pro Fide orthodoxa ferventissimè, Divinior Phoenix æstuabat. Stupendam Ejus modestiam, quæ lingva eloquetur? digna Coelô gesta, quæ penna describet? quis verborum color? vivã Sanctitatis depinget ideam, en Bonaventura vilioribus se adhibet officiis, ægros visitat, servit infirmis, debiles levat, Fratrum obsequia præstat, strata vertit, cellulas purgat, se unum servum omnium fecit, ut Nomen Phoenicis mereretur. Septimô Franciscana in Religione annô, & jam Vir ut octo habetur, nullus Eô sapientior, nullus Pietate perfectior, nullus Sanctimoniâ celsior, & adhuc ferventiori nisu Phoenix altiora contendit, Coelesti meditatione ad Superos fertur, nihil in Terris præter corpus habuit, conversationem suam in Coelis reposuit, totus corde & animô in DEO. Habitus est virtus alibi, in nostro Bonaventura Phoenice, idem quod Ipse, accidens alibi acquisitu difficile separatu facillimũ, in Eo id ipsum quod Ille, tunc nonnisi potuisset sæparari ab Illo cũ Ipse, à se Ipso disjungi. Vixit in carne, extra carnem, integer vitæ scelerisq; purus, Angelos si non naturâ, tunc virtute excelluit, superavit, Phoenix hominum rarissimus adeò confæderavit sanctimoniam scientiæ, scientiam sanctimoniæ, ut in Illo distinctim cerni nõ possit. Omnigena perfectione plenus, subtili mente in sublimem sapientiæ, & probitatum elevatus Regionem, ut Ipsas Coelorũ Motrices Intelligentias sufficeret erudire. Phoenix ingeniô Divinissimo Bonaventura, Parisiensi Sorbonæ destinatus, Magister tantam discipulis propinavit aganippen, ut eorum animi scientiarum fluentîs exuberare viderentur. Felix Parisiensis Sorbona Phoenice Bonaventura, Qui Eam suis pennîs usq; totius Orbis ad invidiam sublimavit. Sacer hic sacrorum interpres, & scrutator, Spititu Domini fervens, ita cuncta exponebat facillimè, enodabat lucidissimè, ut nec septuaginta Ei sufficere lingvæ crederentur. Maximè in votis habuit, ultimîs jungi Fratrum catervis, minimus Sacerrima in Religione dici, ab infirmis non separari, cùm tamen in omnibus Primatum tenere non temere debuerit, quia Phoenix Divino æstuans Amore. Videndo tandem Sacerrimi Francisci ordines, pares altioribûs muniis Bonaventuræ lacertos, unanimi votorum calculô Eundem Genaralẽ eligunt Ministrum. In hoc munere, Boni communis amantissimus Bonaventura omnibus affabilis, singulis amandus, reprehendebat defectus Fratrum, in charitate admonebat, in omni patientia, & doctrina, ut Phoenix in hoc Generalatûs officio spectaretur. Vacillan-

 tem

tem Religionem firmavit, Fratribus licentiam ademit, ad strictiorẽ observantiã Regulæ omnes pertraxit. Expressit in se vivam Patris Francisci ideam. Eundem in omnibus actionibus imitando, Divinũ ad Amorem commovebat singulos, excitabat in cordibus charitatem, ut alios sicut se Ipsum Seraphicis in ignibus videret æstuantes. Paulò post ad Eboracensem Episcopatum vocatur Phœnix Bonaventura, o! quàm Beata tanto Præsule Eboracensis Diœcesis. O! quàm felices oves tanto Pastore fuissent, si Phœnicem Bonaventurã, innata modestia non excusâsset, ac profunda humilitas præesse voluisset. Alii ad Illustres Honorum provolant Soles, etiamsi nefandorum bubones scelerum, alii talpæ vitiorum meridiem eminentiæ videre prætendunt. Nemo ad Honores testudo, quilibet Aquilarum more in altum eluctari cupit, ut in auge resplendeat Dignitatum. Non trito virtutum & meritorum calle, sed pessima excessuum semita, ad Solia fastidioso nisu feruntur, ad fastigia etiam percalcata capita crescere non recusant, imò in votis habent. Divinissimus Bonaventura, Phœnix verè rarissimus, Præsuleum abigit pedum, inquilino non tantùm Honore contentus, in apricum eminentiæ prodire renuit, satis splendoris habens ab ignibus Seraphicis, satis claritudinis ab æstu Divini Amoris. Pauper Francisci vestitus, magìs Divinissimo complacuit Bonaventuræ quàm coruscus Præsulum amictus. Gemma non inserta coronis, suum non amittit valorem, nec virtus indiget splendore, quem satis ex se habet maximum. Sanctiores tenebræ satis gloriæ, & Eminentiæ Divinissimo Bonaventuræ Phœnici attulerunt. Verùm Doctor Divinissimus Bonaventura, Caput Eboracensi Infulæ inclinare recusas, illud Cardinalitiô Galerô supponere debebis; violaceum repudias amictum, purpureus murex Tuos Atlanteos induet lacertos, quem pridem Sapientia, & Pietas, Amor Divinus & Zelus, Honoris innocentia, ac probefacta meruere. Factum est: AA. ad instantiam innocentis vitæ, incomparabilis sapientiæ suffragante Gregorii X. favore in Archiepiscopum Albanensem, ac Cardinalem assumitur, hanc Dignitatem diu recusabat, Galerum à Summo Pontifice pèr legatos sibi transmissum proximæ frondi appendit, sed urgente gravi necessitate non tam libenter, quã reverenter debuit acceptare. Et jam totus purpureus apparet Phœnix Divinissimus Bonaventura, Romanam Ecclesiam, ac Orbẽ condecoraturus universum. Phoenix circa collum, tanquam aureum portat torquem, Divinissimus Bonaventura totum Caput Aurum optimum, sana vacillanti Ecclesiæ, titubanti Religioni consilia daturum, & ita decuit ut Bonaventura Phœnix Seraphicis in ignibꝰ Divino æstuans Amore purpureo resplenderet in Senatu, sic decuit, ut raritas maxima in Vaticano Romano sub clavibus Apostolicis asservaretur, sic decuit; ut ubi omnes Hæresiarcharum excõmunicabantur

tur errores, falsa damnabantur dogmata; Phoenix Bonaventura Divinissimus, ea suis pennis ab Ecclesia Catholica proscriberet, sed nec Rosa sine sentibus, nullus liber à tinea liber, nulla Virtus sine æmulo, nulla gemma sine concha. Gelardus homo, quem non dicam nequissimum, sed ipsam nequitiam, non improbum, sed ipsam improbitatem, non infamem, sed ipsam infamiam, non pestilentum, sed ipsam pestem, Phoenicem ægerrime ferens, ac si Phoenici suæ pennæ deessent, clandestine libellum, famam Minoritarum, & Bonaventuræ lædentē conscripsit, ac nec oculis dignum quidem humanis, in lucē publicam edidit, Phoenix Bonaventura, contra hanc pestē, rescripto suo pugnavit, nequitiam illam, cristas attollentem debellavit. Blasphematoris ausum compescuit temerarium, longè majora operatus est Divus Bonaventura, dum conjuratos Ecclesiæ hostes edomuit, errores proscripsit, beatiùs vivendi, Regulam præscripsit. Præses Concilii Lugdunensis, à Gregorio X. designatus, vix Lugduni stetit Bonaventura, ast Græcorū stultitia, sublimi Ejus confunditur sapientiâ, tollitur mala opinio, ac falsitates deteguntur. Orientalem Ecclesiā Romæ univit, unum Orbis Caput demonstrando. Hæc operantem Bonaventuram, dum malesani vident Græci, suos abjurant errores, perversitates palàm fatentur, stupent in Bonaventura prudentiā, mirantur ferventissimum Zelum, ac Phoenicem Divino æstuantem Amore pronô cultu adorant. Mitto Phoenicis Bonaventuræ sapientiā, non enumero tot codices, tot volumina ad instructionem Orbis cōscripta. Prætereo quomodò Phoenix Divinissimus Acephalam Ecclesiam diu impatiens, discordes Cardinalium composuit animos, scissa univit corda, rupta reparavit vota, absq; ulla controversia, Verum Legitimumq;. Pontificem Theobaldum elegit, nominavit. Quidquid Bonaventura dixit oraculum, quidquid scripsit miraculum fuit, ex Fonte Increatæ Sapientiæ, scientificas delibavit venas, Phoenix Sapientum, Phoenix Cardinalium, Phoenix Fratrum Minoritarum, & ut veriùs dicam, Seraphici in ignibus Divino amore æstuans, Phoenix adorandus. Post Exantlatos tandem Seraphica in Religione, purpureo in Senatu, pro DEO, pro Fide, pro animarum Pietate labores, Divino succensus Amore, crematur Bonaventura Divinissimus, ut Coelo renascatur. Mortalem vitam agendo, immortalia fecit, lethi expers, quia Phoenix exstitit, omnia Coelô digna operatus est, meruitq; super Astra referri. Et hinc jam Oratoris cessant spiritus, ubi Phoenix Divinissim9 Coelo renatus, Beatiorem sperat vitam. Habitanti lucem inaccessibilem admotus, ferventiùs Divino æstuat Amore, verùm Oratoria extingvit lumina, non prætendit, Phoenix Bonaventura eruditâ elevari pennâ, postquam ad Coelos evolavit.

Congratulor magnæ felicitati Vestræ Religiosissimi in Christo Patres, quòd usq; ad invidiam Orbis habeatis Seraphicis in ignibus

Divino Amore æſtuantem Bonaventuram Diviniſſimũ. Veſtra enim inde Gloria, Veſtrum encomium eſt, quòd Minoritæ, maximos eruditione, Sapientiâ, & Sanctimoniâ, non minores Viros, Orbi univerſo demonſtratis. Permittite mihi velum modeſtiæ Veſtræ retegere, videbit Orbis Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Reges, Principes, Confeſſores, Martyres, & innumeros ſanctitate commendatos Viros, Seraphicis in umbris ſe ſe occultantes. Verè Sacerrima Veſtra Religio nidus Phœnicum eſt, quæ eruditione totum implevit Orbẽ. Manus quas ſacro gentis in Stemmate, Vos versùs Cœlum attollũt, demonſtrando fideles in Vinea Chriſti Operarios. Et quoniã omnia Cœlô digna agitis, undè Vos ipſum laudet Cœlum, ego tacere cogor. Ad Te nonniſi Phœnix Bonaventura refugio, ut tuis pennis nobis Privilegium omnigenæ proſperitatis ſubſcribere digneris. Age Bonaventura Diviniſſime, ut ſub Tua Protectione Polona nidificet Aquila, ab Hoſtium fulmine immunis futura. Age Diviniſſime Cardinalis, ut in Rota Illuſtriſſimi Capituli Culmenſis, Ipſi tantùm cum ſucceſſu rotentur Honores. Murices, Galeri, Infulæq; volvantur. Novicolli Civitati, & noſtris Culmenſibus Scholis, fortunatos impetra progreſſus. Nos verò Academici per Sceptriferam noſtram juramus Crucem, quòd Te Philadelphico ſemper proſequemur candore, & Phœnicem Seraphicis in ignibus Divino æſtuantem Amore propalabimus, ut Ego hactenus propalavi, &

D I X I.

